DEO OPT. MAX. UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS XIV. DECEMBRIS.

M. PETRO YVELIN; Doctore Medico, Præside.

An sanguis utilius mittitur primo quam medio graviditatis tempore?

QUONIAM olim novum fuit, nunc vetus est in gravidis mulieribus venam incîdi absque ullo abortus periculo, qui antea metuebatur, nec sine aliqua veri specie, si sanguis ea largitate semel funderetur, quæ mulieris prægnantis vires omninò
exhauriret. Verùm hujus humoris partitè mittendi ratio, rem præstat longè securiorem. Deinde plæraque sunt quæ semel aut rarius visa, non debuerunt præcepto tradi, observatione potuerunt, nec usu excoli. Atque adeò hoc auxilii genus in
pueris infantibusque utiliter experimur artis sapientiâ sapientum quorumdam authoritati antepositâ. Quasi venæ sectionem imperantis consilium eò potissimum dirigi debeat, ut non quæ ætas sit, neque quid in corpore intùs geratur, sed quæ
vires sint peritè intelligat, ex eis collecturus, possit necne superesse sanguis qui in una muliere duo corpora simul sustineat. Omnique graviditatis tempore vena tutò secabitur, tum verò tutissimè, cum præsentia indicantis affectus magis urgebit; quippe
cujus est intentionem medici atque prudentiam regere in secunda æque ac adversa valetudine; neque enim graviditas morborum numero adscribenda est; aut neutri cuidam statui, qui nullibi consistit inter contrariam morbo sanitatem. Hæc ut fuerit
in prima aut ultima ætate imbecillior, in media vegetior; si tamen abest injuria functionum, huic aut illi hominum generi debitarum, morbus quoque abest. Nec etiam gravidæ mulieri ea deest sanitatis virtus, quæ audacissimo corporis muneri sa-
tisfaciat; nisi tunc natura, quasi avaritiæ conscia, se forsan inopem senserit ex nimia suarum divitiarum copiâ; quæ ei, non secus ac avaritiæ sua bona, oneri futuræ sunt & inutiles, immò vero, noxiæ, statim atque sanguis congruentem corpori mo-
dum magis excesserit.

VENÆ sectio princeps & palmarium suo merito audit remedium, utrique hominum statui, ægro & salubri pariter propositum. Adeò diversis modis immutat corpus, ceu morbus præcaveti, ceu curari debeat, ut nec ab uno indicante, nec certò
definiri possit, inter tot indicantium genera, ab utro magis indicetur. Nimiam, quæ morbum minatur, sanguinis copiam vacuat; pravam, quæ eumdem facit, qualitatem temperat: præcipitem in alienas partes humorem revocat, & effusum ad
vicinas derivat; unde nec uni corporis vitio succurrit, nec uni medendi scopo respondet. Tot deinde affectuum mensura & sedes, quasi artis consilio & invitatione, præibunt ad sanguinis mittendi, non secus ac remedii cujusvis, ex indicationis lege,
præscribendi copiam & locum designandum. Attamen principis præsidii occasio tum præsertim se offeret, cum nova aut major quædam pernicies à cumulatiore sanguine sanitati imminebit. Quamobrem Athletarum corpus hâc veluti redundantis succi
sarcinâ statim expediendum fuit, eo valetudinis & roboris tempore, quo urgentibus morborum periculis, propius objiciebatur. Nimius enim sanguis moræ impatiens, quoquoversum sese effundit, neque modo genis ruborem, capiti oculisque gra-
vitatem infert, aut toti corpori pleniorem molem, sed quatenus huic vel illi excremento magis affinis existit, longe alia partibus internis, vel externis creat aut pollicetur mala. Sin minus qua parte solet purus vel impurus erumpere, naribus, hæmorrhoi-
dibus, utero, ad eamdem pristino motu se refert; tum verò magis si ulla naturæ præscriptione eò inclinat, ut mensium specie copiosius irrumpentium, admirabilem uteri conatum interturbet, divinam fœtus texturam facilius obruat, suffocetque primo
quam medio graviditatis tempore.

TOTA graviditas (quæ muliebris corporis est dispositio, quâ fœtus utero continetur, diu gestatur,) numeratur ab eo tempore quo uterus semen arctè complexus est, usque dum fœtus effluxu, abortu excludatur, aut legitimo partu brutis animantibus
præstituto, rationis participibus vario; ut ne certiora essent momenta hominis ex utero exituri in lucem, quam signa concepti, quandiu motus indicio nondum confirmantur. Ridendæ igitur mulierculæ quæ etiam hoc vel illo mense, longe audaciùs
quam sapientes quique, pronunciant, quidquid de muliere rogabuntur. An utero gerit? An jamdiu? Quis sexus fœtum distinguit? Et quod erit ei nascendi tempus? Quorum omnium certa cognitio vix ad medicorum animos statim pervenit, nedum ad
obstetricum digitos, sed uni naturæ reservatur; Non summum modo naturæ opificem, aut nativum matris calorem, verum hanc intelligo (quæ artis jam interest) incredibilem efficacitatem seminis paterni: aut, quod idem est, calidi nativi, à virili
quidem semine, aliquo nominis & officii modo, neque naturâ discrepantis: nempe à quo intra uterum tota pendet, ex sanguine materno, hominis delineatio, necnon nutritio, cæteræque ejusdem functiones, dum proprio sanguine extra uterum vi-
vit. Quemadmodum autem prægnantis mulieris imaginatio, effigiem, sic varia seminis conditio speciei similitudinem fœtui imprimit; varia quoque in eodem ratio caloris, varium describit sexum; ac deinde una ejus virtus aut imbecillitas, conforma-
tum in utero corpus, alio atque alio tempore movet, extra uteri latebras promovet, & excludit, septimo, nono, decimo vel alio mense præter exspectationem sæpè nasciturum. Qua de re si nemo possit numeros ullos tentare, vel babylonios; quam
fallax erit ad tundendam venam, mediæ graviditatis conjectura! cui vulgus (in quo non est ratio nec consilium) quartum mensem cum dimidio certa religione præfinit. Quasi nullus esset, nisi nono mense natalis dies; aut conceptionis primordia adeò consta-
rent. Attamen si ulla est sapientum prudentia vulgi opinioni servire in hac tanta humanæ fabricationis caligine; primum graviditatis tempus metiemur primâ quâque oneris utero suscepti suspicione, & eâ quæ ex suppressa mensium consuetudine magis
ac magis invalescet. Unde nemo non intelliget; tunc securiorem utilioremque dari venæ sectioni locum, quo majus periculum, velut latenti in semine homunculo, residebit ex inutili & noxiâ tam copiosi sanguinis redundantiâ, quæ in gravidarum mu-
lierum venis, visceribus, utero retinebitur ad fœtum omninò corrumpendum, fœtam pluribus malis cumulandam.

NIMIRUM sanæ mulieres quæ suo fœcunditatis curriculo neque lactant neque uterum ferunt; eæ sanguinis jacturam patiuntur singulis mensibus ad heminas plus minus duas. En multa fœtus materia, quæ longè imparibus viribus tractan-
da, pauculo semini proponitur; id quidem uteri sinu susceptum, velut arctissimo naturæ agro fovetur, & circumfusum sensim sine sensu è proximis venis admittit quam exilissimam sanguinei roris tenuitatem; quæ tertio die principem corpo-
ris partem (saliente punctulo) designat in pullo, quidni & in homine, qui etiam trigesimo quadragesimove conceptionis die, bellè conformatus, nequidem pullo, vix formicæ aut api æqualis inventus est à naturæ Mystagogis. Quorsum igitur tanta hu-
moris quasi annona, nisi ut hominis semen, plantarum semine longè delicatius, in uvidiori loco statim extinguatur per sanguinis è cubito minuendi incuriam. Cujus semper pœnitebit eum, pudebitve qui primo graviditatis tempore, nonnumquam in
mulieribus deprehendet solitas periodos mensium, tum magnâ fœtus conservandi providentiâ, adhuc recurrentium, tum majore artis documento. Esto enim uberius alimentum, grandiori fœtui quasi necessarium concedatur, quod suis membranis involu-
to corpori, suis quoque numeris absoluto satis sit ad vasa umbilicalia, placentam & adeò numerosam partium suppellectilem, toto auctionis tempore, magis ac magis locupletandam à quadragesimo circiter die, usque ad legitimam exclusionis horam.
Verùm quid est, quod primis, constituendi fœtus, quasi momentis, trepidas, hæmophobe, vulgi opinione magis quam legitimâ indicatione ductus, quæ tunc sanguinis missionem suadet cum natura paucissimi eget & copiosiori redundat.

NATURA igitur in fingendo fœtu materiæ parcissima, ni succurras, luctabitur cum nimio sanguine, & ab eo primis graviditatis temporibus, vim est passura. Huic quidem blandius affluenti amicè interest ac præest; sed vehementius irruenti pri-
mum reluctatur, tum ei se immiscet, incerta tamen quo spectet dubius spirituum vigor; mox sæpè in eo rerum discrimine, ab homine fabricando penitùs repulsa, ad informem alicujus corporis umbram se convertit, ceu ad gignendam, ex tanta
humoris mole, Molam, quæ fœtus æmula novarum nuptarum gaudio sæpe illusit; venæ sectionis negligentiam medicis sæpius exprobravit; fere nunquam utero elapsa quin aliqua sanguinis profusio, exeuntem sequatur aut antecedat. Porrò si inte-
gra manet feminis virtus, tot superatis perficiendi hominis impedimentis; quanta deinde mala luxurians sanguis, gravidæ parituræ est ad patentia & bibula viscera ex utero revocatus. Qua ratione hepar, Lienem, singulasque partes prægravabit, & in-
ficiet, hâc eâdem appetentiam dejiciet & depravabit; nauseam vomitumque ciebit; ventrem diarrheâ aperiet; acriori subter fluentium humorum stimulo irritabit uterum; thoracem spirandi & tussiendi difficultate premet, capitis dentiumque dolorem
faciet; eripiet somnum, aut quasi veterno obruet corpus, languore dissolvet, inediâ penè exsiccabit & consumet: ita ut prægnans mulier, solâ assiduitate cibi sursum deorsumque rejiciendi, & penuriâ confecti, adducatur ad eam humoris mediocrita-
tem quæ, sectis, ineunte graviditate, superioribus venis, procurata, tot vivendi labores longè propulisset, & eum omninò providisset (nec adeò tenuis valetudinis) statum qui deinceps quarto aut quinto conceptionis mense, magis vigere incipit, venis
suo sanguine non amplius turgidulis. Ideoque certius conjicitur præteritum esse omne non modo effluxus aut aborsus, verum etiam morbi periculum, cui tempestiva venæ sectio longè securius occurrisset.

Ergo sanguis utilius mittitur primo quam medio graviditatis tempore.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.



M. Ioannes Robert.	*M. Claudius Puylon.*	*M. Franciscus de la Chambre, Regis Medicus ordinarius, & Reginæ Francorum primarius.*
M. Ludovicus Gayant.	*M. Petrus Yvelin, Præses.*	*M. Alanus Lamy.*
M. Franciscus Vezou.	*M. Raymundus Vaslet.*	*M. Claudius Quartier.*

Proponebat Lutetiæ NICOLAUS RAVEAU, Parisinus, A.R.S.H. MDCLXXIII.